UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

Decretalivm D. Gregorii Papæ IX. Compilatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

DECRETALIVM D.
GREGORII PAPÆ IX.[a]
COMPILATIO.

GREGORIVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis doctoribus & ſcholaribus univerſis, Bononiæ [b] commorantibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

REx pacificus pia miſeratione diſpoſuit ſibi ſubditos fore pudicos, pacificos, & modeſtos.

Sed effrenata cupiditas, ſui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum, tot quotidie nova litigia generat, ut niſi juſtitia conatus ejus ſua virtute reprimeret, & quæſtiones ipſius implicatas explicaret, jus humani fœderis litigatorum abuſus extingueret, & dato libello repudii concordia extra mundi terminos exularet. Ideoq; lex proditur, ut appetitus noxius ſub juris regula limitetur, per quam genus humanum ut honeſtè vivat, alterum non lædat, jus ſuum unicuiq; tribuat, informatur. Sanè diverſas conſtitutiones, & decretales epiſtolas prædeceſſorum noſtrorum in diverſa diſperſas [c] volumina, quarum aliquæ propter nimiam ſimilitudinem, & quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter ſui prolixitatem, confuſionem inducere videbantur: aliquæ verò vagabantur extra volumina ſupradicta, [d] quæ tanquam incertæ frequenter in judiciis vacillabant. Ad communem, & maximè ſtudentium utilitatem, per dilectum filium fratrem Raymundum capellanum & pœnitentiarium noſtrum, illas in unum volumen (reſecatis ſuperfluis [e]) providimus redigendas, adjicientes conſtitutiones noſtras, & decretales epiſtolas, per quas nonnulla [f] quæ in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur ut hac tantùm compilatione univerſi utantur in judiciis & in ſcholis, diſtrictius prohibemus, ne quis præſumat aliam facere, abſq; auctoritate ſedis apoſtolicæ ſpeciali.

a Titulus hujus libri in manuſcriptis vetuſtiſſimis ita habet, Incipit compilatio Decretalium Divi Gregorii Papæ IX. *b* In uno manuſcripto Vaticanæ legitur Pariſiis, in altero Bononiæ & Pariſiis. ſed ut plurimum habent, Bononiæ. *c* al. ſparſas. *d* Text. in l. 1. C. de nov. cod. fac. & l. 2. §. ſi quid autem in tanta. C. de vet. jur. en. *e* Interdum & utilib, quod & de Triboniano dicitur, qui fuit Raymundo iſto doctior. *f* Mala ... ta fuit hæc epiſtola anno Chriſti 1230.

DE SVM